



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Controversiarvm Omnivm Hvivs Ævi Lvthero-Calvinisticarvm Libri Tres

Coppenstein, Johann Andreas

Mogvntiæ, 1627

Qvæstio XVIII. Quis autem est ille Mediator, qui simul est verus Deus, & verus ac perfectè iustus homo?

urn:nbn:de:hbz:466:1-35233

DOMINICA VI.

QVÆSTIO XVI.

*Cur necesse est, eum verum hominem
& quidem perfecte iustum
esse?*

RESP. Quia iustitia Dei postulat, ut eadem natura humana, quæ peccavit, ipsa pro peccato dependat^a, qui vero ipse peccator esset, pro alijs dependere non posset^b de condigno.

^a Exod. 32, 33. ^b Heb. 7, 26, 27.

QVÆSTIO XVII.

*Quare oportet eum simul etiam verè
Deum esse?*

RESP. Ut potentia suæ diuinitatis, onus iræ diuinæ carne sua sustinere^a, nobisque amissam iustitiam & vitam reparare^b, ac restituere possit^c.

^a Esa. 9, 6. Esa. 53, 4. 2. Cor. 13, 4. ^b Ier. 33, 16. Esa. 53, 5, 11. ^c 1. Ioh. 4, 9.

QVÆSTIO XVIII.

*Quis autem est ille Mediator, qui simul est
verus Deus, & verus ac perfectè
iustus homo?*

RESP. Dominus noster Iesus Christus^a, qui factus est nobis sapientia à Deo, iustitia, sanctificatio & redemptio^b.

^a 1. Tim. 2, 5. Ioh. 1, 1, 2, 3, 4, 5. Ioh. 1, 14. Philip. 2, 7, 11. Per. 3, 18. ^b 1. Cor. 1, 30.

QVÆSTIO XIX.

Vnde id scis?

RESP. Ex Euangelio, quod Deus, primum in paradiso patefecit^a, ac deinceps per Patriarchas^b, & Prophetas^c propagavit, sacrificijs reliquisque ceremonijs legis adumbravit^d, ad extremum vero per filium suum Unigenitum compleuit^e.

^a Gen. 3, 14. ^b Gen. 22, 18. Gen. 26, 4. Gen. 28, 14. Gen. 49, 10. ^c Act. 3, 24. Act. 10, 43. ^d Heb. 10, 1. Col. 2, 16, 17. ^e Ioh. 2, 29. 1. Cor. 5, 7. Act. 13, 32, 33.

DOMINICA VII.

QVÆSTIO XX.

*Num igitur omnibus hominibus, qui in
Adamo perierant, per Christum sa-
lus redditur?*

RESP. Non omnibus: verum ijs tantum, qui vera viuæque fide ipsi inseruntur, eiusque beneficia amplectuntur^b cum vero Sacramentorum usu.

^a Matt. 7, 13, 14. Matt. 7, 21. ^b Ioh. 3, 16, 17, 18, Ioh. 3, 36.

QVÆSTIO XXI.

Quid est Fides?

Est † tantum * gratia infusa, qua † non firmiter assentior omnibus, quæ * notitia a: Deus nobis in a verbo suo Scripto & Tradito patefecit^b: † non autem est † sed etiam solum certa fiducia^c, à Spiritu Sancto^d per Euangelium^e in corde

* Fides